

stra & unumquodq; sit propter suam operationē.
Quod si cœlum careret formā informante, non
esset ens actu, sed pura potentia, quod absurdū.

Porro forma informans cœli est inanima-
ta. Quis enim sapiens in cœlo statuet instra-
menta & operationes animæ, nutritionem, au-
gmentationem, visionem, gustum, tactum, ap-
petitionem, intellectionem, volitionem? Iste-
rim qui volet, per analogiam & similitudinem
cœlum vocet, animatum animal divinū quid;
& si quid aliud. Quando verò Aristoteles cœ-
lum vocat corpus animatum; accipit cœlum
cum intelligentijs illud moventibus, ex hypo-
thesi: cum alibi cœlum animatum esse neget.

Valeant itaq; eorum nugæ, qui cœlum nec
in materiâ nec formâ consistere putant, ac si spi-
rituale ens esset, & incorporeum; cum tamen
habeat trinam dimensionem figuram, suam &
distantiam partium, sitq; pars mundi corporis
integralis. Valeant etiam, qui cœlo tribuunt
materiam, absq; forma informante, & assisten-
tem ei tribunt: illam, per quam cœlum con-
stituatur, hanc, per quam moveatur.

Materiam cœlo qui planè denegaverint,
non defuerunt, quos defendit Averroës Sed cor-
pus facere sine materia, ut ait Scaliger, est fa-